Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICO-PHYSIOLOGICA

DE

OECONOMIA ANIMALI,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, & reliqua,

SVB VMBONE

IOANNIS ADOLPHI WEDELII,

PHILOS. ET MEDIC. DOCTORIS, PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII, MED. PROV. SAXO-VINAR. AC CIVITATIS IENENSIS PHYSICI, FACVLTATIS MEDICÆ h. t. DECANI

Patroni, Præceptoris ac Hospitis sui omni obseruantiæ cultu æternum deuenerandi,

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPOSITA

AB

AVCTORE

M. CHRISTOPHORO LE CERF,

MOENO - FRANCOFVRTANO,

IN AVDITORIO MEDICO

HORIS CONSVETIS

Ad d. Iunii, Anno M DCC XIV.

IENÆ, LITTERIS KREBSIANIS.

A SON ALTESSE SERENISSIME

MONSEIGNEVR

LE PRINCE

LOUIS

PRINCE HEREDITAIRE

DV LANDGRAVIAT DE HESSE, DE LA PRINCIPAVTÉ DE HIRSFELD, DE LA COMTÉ DE CATIMELIBOQVE, DE DITZE, ZIGENHAIN, NIDDE, SCHAVMBOVRG, YSENBOVRG, ET BVDINGEN &c. &c.

MON TRES CLEMENT SEIGNEVR,

MONSEIGNEVR

IL n'y a gueres de moments plus profitables à un PRINCE, que ceux qui Luy inspirent de l'amour pour la connoissance de soy même;

 C'est

ment les devoirs d'un bon Medecin; & c'eſt ce beau melange que je tache d'ébaucher par ce petit Eſſay de Medecine ſous les auſpices de Mr. WEDEL *le Fils du fameux* WEDEL *qui eſt l'Oracle des Medecins de ſon Siecle.*

On s'etonnera peut eſtre, MONSEIGNEVR, de la liberté que je prens de dedier ſi peu de choſe à V. A. S. mais la permiſſion que mon Pere en a receue d'VN des Meilleurs PRINCES du monde, *auquel V. A. S. eſt redevable de* ſon Eſtre Auguſte, *excuſera par tout ma conduite; & je m'eſtimeray fort heureux ſi l'homage que je rends à dix huit ans*

ans aux qualitez Heroiques de V. A. S. peut convaincre VN si grand PRINCE *de nos tres humbles obeïssances.*

J'aurois bien voulu, MONSEIGNEUR, offrir moy même ces Theses à V. A. S. mais la distance des lieux ne me le permettant pas, je La *suplie tres humblement d'estre persuadée qu'en quelque endroit que je sois, je ne cesseray jamais d'invoquer le* Roy des Rois *afin qu'il fasse revivre en V. A. S. les vertus de ses Augustes Ancestres & surtout l'incomparable pieté du* PRINCE PHILIPPE *d'heureuse memoire* Landgrave de Hesse *&c. &c. si fameux dans l'histoire*

pour

pour avoir pris en 1527 la cause de Dieu *en main & reformé son Eglise. C'est le souhait que fait de tout son cœur celui qui a l'honneur d'estre avec un tres profond respect & une soûmission parfaite*

MONSEIGNEVR

DE
VOSTRE ALTESSE SERENISSIME

a Jene ce Ier. jour de Iuin
1714.

Le tres humble, tres obeissant & tres fidelle serviteur

C. LE CERF.

I. N. I.

PROOEMIVM.

ABſoluto Heidelbergæ per Dei T. O. M. gratiam ſtudii phyſici curſu academico, philiatri ſtudiorum ordo poſtulat, vt nunc ad medicinæ ſacra me conuertam. Hanc primo a limine ſalutaturus, deprehendo bonum generi humano vtiliſſimum, ac proinde illius origo DEO adſcribenda eſt. Definitur autem per artem, quæ docet modum præſentem ſanitatem conſeruandi & amiſſam reſtituendi in homine, qui eſt illius obiectum. Medicinæ partes præcipuæ ſunt Phyſiologia, Pathologia, Semiotice, Hygiene, & Therapeutica. Phyſiologia, de qua hic tractabimus, agit de partium humani corporis legitime conſtitutarum potentia actiones exercendi. Potentia

illa partium naturalis debitas actiones exercendi apellatur a nobis ſanitas, partes vero ſunt vel ſolidæ vel fluidæ. Partium actiones vel indiuidui conſeruationem, vel ſpeciei propagationem concernunt. Actiones, quæ ad indiuidui conſeruationem faciunt, ſunt potiſſimum ciborum asſumptio, chylificatio, ſanguificatio, ſanguinis circulatio eiusque depuratio, bilis, vrinæ & fecum ſecretio, inſenſibilis tranſpiratio, ſpirituum generatio, nutritio, ſenſatio, motio &c. Quæ vero ad ſpeciei propagationem pertinent ſunt ſeminis & menſium ſecretio, conceptio, nutritio fœtus in vtero, fœtus lochiorumque excretio, lactis generatio, &c. In actionibus hiſce edendis ſolidæ partes magis paſſiue ſe gerunt, fluidæ vero magis actiue. Partes ſolidæ ſunt oſſa, cartilagines, tendines, membranæ, nerui, arteriæ, venæ, tubuli lymphatici, & fibræ muſculares. Fluidæ autem ſunt ſanguis, lympha & ſpiritus; hi diuiduntur in vitales & animales, qui tamen ratione ſuæ eſſentiæ vnius ſpeciei ſunt, & animales generatim dicuntur. De his Bono cum DEO in ſequentibus breuiter quidem, at dilucide, pro viribus agere conabimur.

THESIS I.

De fame.

QVando animal per aliquot tempus nullos aſſumpſit cibos, tunc menſtruum ſiue fermentum in glandulis ventriculi deliteſcens acrimoniam concipit, & ſic fibras neruoſi orificii ſuperioris ventriculi vellicat: hæc vellicatio ſenſationem moleſtam creat, vnde appetitus oritur, qui cibis ſedari debet, vt animal refocilletur.

THES. II.

De menſtruo cibos diſſoluente.

Menſtruum cibos diſſoluens in ſtatu ſano & naturali nunquam eſt acidum, ſed in ſtatu præternaturali & morboſo aliquando fit acidum, vnde cruditas ventriculi acida ortum ducit. In ſtatu vero naturali & ſano fermentum illud eſt eiusdem naturæ cum ſaliua in ore, ſcilicet ſalino-ſulphureum, lympha vitalis ſpirituoſa. Vnde ſoluit & diluit alimenta, eorumque particulas minimas in motum inteſtinum ſeu fermentatiuum ſpecificum agit & excitat.

THES. III.

De chylificatione.

Chylus fieri incipit in ore, cum alimenta maſticata ſaliuæ immiſcentur; idem fieri pergit in ventriculo, vbi lympha e glandulis tunicæ nerueæ oriunda cibos vlterius diſſoluit & immutat, accedente ſufficienti mora, & ſubſequa prouolutione, qua ad inteſtina perferuntur, vt chylus mediante bile, ſucco pancreatico & lympha glandularum inteſtinalium perficiatur, qui a talium liquorum oleoſo- & ſalino-volatilium cum aqueis mixtura, emulſionis inſtar, albeſcit.

THES. IV.

De separatione excrementorum a chylo.

Quando chyli particulæ sic præparatæ & fluidiores redditæ ingrediuntur ostiola venarum lactearum, tunc alimentorum partes crassiores intestinorum motu peristaltico propulsæ separantur ab illis, & tandem foras eliminantur propter bilis, intestina ad excretionem irritantis, affluxum, & ipsam recrementorum molem.

THES. V.

De motu chyli.

Chylus in intestina delapsus tam per respirationem, quam per circulares intestinorum fibras, comprimitur in oscula venarum lactearum, quæ tendunt ad cisternam lumbarem, vnde in ductum thoracicum fluit, & a ductu thoracico, qui recta prope vertebras sursum tendit, in venam subclauiam, ab hac in venam cauam, e vena caua in dextrum cordis ventriculum defertur.

THES. VI.

De sanguificatione.

Chylus a vena subclauia in venam cauam delatus tincturam aliqualem sanguinis primo acquirit, vbi vero a vena caua in dextrum cordis ventriculum peruenit, maiorem adhuc adipiscitur, in pulmonibus deinde magis magisque tingitur, ac in sinistro cordis ventriculo perficitur magis chyli tinctura, quæ tamen non nisi per diuturnas digestiones ac circulationes fit perfectissima. Quamobrem sanguis ipse non absurde dicitur sanguificare.

THES.

THES. VII.

De reſpiratione eiusque vſu.

Aer eſt corpus fluidum, quod ad ſex vel octo mille circiter paſſus circa terram circumfuſum athmoſphæram ſeu vaporum globum conſtituit. Is in parte ſua ſuperiori ſubtiliſſimus eſt, in parte media minus, & in infima craſſior, & non ſolum pondere ſuo gaudet, ſed etiam vi elaſtica, quatenus ſcilicet expandi & condenſari poteſt. Propter ſuum pondus ingreditur omnia loca ab aere vacua ac proinde intrat ſtatim in bronchia pulmonum fœtus mox in lucem editi, & particulæ eius ſubtiliores ſeſe inſinuant per raram & veſicularem pulmonum ſubſtantiam in inſpiratione, vnde pulmones diſtenduntur; in exſpiratione vero rurſum foras expelluntur, & pulmones tunc concidunt, quamobrem aer ratione ponderis ſui eſt cauſa primaria expanſionis pulmonum, ita tamen, vt dilatatio thoracis, quæ coſtarum eleuatione & diaphragmatis depreſſione fit, ob ſublatum æquilibrium eum inuitet, vti conſtrictione thoracis, quæ depreſſione coſtarum, & eleuatione diaphragmatis, peragitur, expellitur.

THES. VIII.

De ſanguinis motu.

Sanguinis motus duplex eſt; inteſtinus vel fermentatiuus, & circularis ſeu progreſſiuus. Inteſtinus ſanguinis motus oritur ex particulis eiusdem ſalino-ſulphureis volatilibus & ſpirituoſis, quæ actiuæ & elaſticæ ſunt, cum terreſtribus & fluido-aqueis, quæ paſſiuæ ſunt, mixtis, & vna ſimul fermentantibus. Motus vero circularis producitur ab ipſo ſpiritu vitali mediante corde, cuius contractione &

 dila-

dilatatione, quam præstat, sanguis propellitur. Fit autem ille motus circularis ab arteriis in venas, & a venis in arterias, pertotum corporis habitum sequenti modo: sanguis nimirum per venas ad cor refluus vna cum lympha, & chylo post pastum, e vena caua singula diastole seu dilatatione cordis dextrum ventriculum ingreditur, e dextro vero cordis ventriculo in systole seu contractione cordis idem sanguis admissus in pulmones per arteriam pulmonalem exprimitur, ex qua per vniuersum pulmonum ambitum in venam pulmonalem transit, & per eam in sinistrum cordis ventriculum defertur: ex sinistro hoc thalamo dein per arteriam magnam maximo cum impetu vrgetur ac mouetur ad partes reliquas corporis, dum propter diuisionem arteriæ huius in tot ramos maiores, minores & minimos, motu suo pergit, & in partibus carnosis per capillares arterias ad carneas fibras natura sua porosas abit, vbi is, qui post nutritionem partium corporis remanet, per poros istarum partium transcolatur, ac in venarum capillamenta & ostiola recipitur, in quibus venis, sensim incrementa sumentibus, prompte procedit, donec in maiores cauæ truncos & cordis ventriculum dextrum deferatur, ac denuo iterum repetat viam eandem modo descriptam.

THES. IX.

De sanguinis analysi.

Sanguis e vena secta eductus duo exhibet oculis, scilicet sanguinem proprie dictum rubicundum & serum. Sanguis vero per microscopium consideratus præbet meros globulos in parte serosa natantes & in continuo motu existentes; si autem idem sanguis humanus destilletur, præbet (1.) aquam copiosam (2.) spiritum volatilem seu sal

vola-

volatile in aquea parte liquatum copiosum, vt etiam eius pars lateribus vasorum adhæreat (3.) sulphur seu oleum combustibile modicum (4.) Terram seu caput mortuum, in quo aliquid salis fixi sed medii latitat. Pars sanguinis rubicunda colorem floridum massæ sanguineæ præstat, dum globuli eiusdem continue agitati in sero a se recedunt, & sic disiuncti magis radios lucis hac proportione reflectunt. Quod si vero in sanguine emisso motus globulorum cesset, vt sic non diluantur a sero, propius ad se accedunt, & discontinuatione desinente coagmentati obscuriorem colorem exhibent. Globuli vero ipsi colorem rubicundum obtinent iuxta chimicos a particulis sulphureo-salinis euolutis & calore exaltatis. Primum probatur ex eo, quod, ablata superiori parte sanguinis rubicundi e vena emissi & in patina depositi, inferior eiusdem pars nigricans aeri exposita pari modo rubescat. Secundum manifeste videri potest experimento sequenti: si enim lactis v. g. libra semis cum salis tartari vnciis duabus coquatur per horæ quadrantem vel horam dimidiam, tunc colore primum flauescente, deinde rubello & sanguineo lac tingitur. Imo mortuo iam animali, motuque cordis ablato, vti obseruauit LOVVERVS, si sanguis ex vena caua per cor & pulmones beneficio follis aere inflatos vrgeatur, is æque rutilus ac in viuente e pulmonibus exit; dum sic pars gelatinosa & serosa intertexta adhuc ab aere liquatur, vt saltim in superficie existentes globuli a se inuicem paulisper secedant, quia sero intimius iterum remiscentur, vti leni calore accedente idem accidit.

THES. X.
De sero.

Serum sanguinis a sanguine separatum & peculiaribus

bus vasis vectum vsitatius lympha appellatur, nam lympha a sanguine, per arteriolas in corporis partes adducto, glandularum ope separatur, & per peculiaria vasa, quæ lymphatica audiunt, ad sanguinem reuehitur. Horum textura tenuissima & subtilissima est, & alia exoriuntur a glandulis partium, alia ex ipsa viscerum substantia. Omnia hæc vasa a circumferentia ad centrum lympham reuehunt. Quæ sub diaphragmate obseruantur, ab hepate, ventriculo, liene, mesenterio, vtero, testibus, pedibusque oriunda ad cisternam lumbarem, seu receptaculum chyli, prope renes tendunt, omnemque lympham in id effundunt, quæ vero supra diaphragma reperiuntur vasa lymphatica v. g. in thorace, pulmonibus, sterno, collo, capite, brachiis &c. vel in ductum thoracicum, vel in venam subclauiam lympham suam deponunt, vt scilicet massam sanguineam fluidam reddat, chylum diluat, & salium acrimoniam temperet.

THES. XI.

De nutritione.

Nutritio est deficientium in corpore nostro particularum restitutio. Corpus nostrum non parte sanguinis lymphatico-gelatinosa sola, nec sanguine proprie dicto rubicundo solo, sed vtrisque nutritur. Frustra enim in contrarium sanguinis purpureus color allegatur, cum a colore nutrimenti ad colorem nutriti non valeat consequentia, alias enim nec ipse sanguinis rubicundus posset fieri, nisi rubicundi cibi assumerentur. Hinc, si vel pars rubicunda, vel serum, deficiat, vel alias proportionem debitam non habeat, nutritio quoque non fit legitime, nec partes albidæ & exangues dictæ, quæ tamen nutriuntur v. g. nerui, ligamenta, ossa,

offa, tendines &c. quicquam probant, cum ad omnes non ferum tantum, fed fanguis & ferum ferantur. Quamobrem ipfa fanguinis maffa nutritioni apta eft, gelatinofo-vitalis & fpiritibus animalibus impraegnata exiftens. Nutritio non dependet a fimilitudine ac proportione pororum partium nutriendarum cum particulis fucci nutritii, qui per circulationem impellitur ad partes, in iisque retinetur & agglutinatur, fed ab immutatione in quauis parte fpecifica.

THES. XII.

De hepatis & lienis officio.

Hepatis officium non eft fanguificare, fed fecernere a fanguine bilem, quae in inteftinum duodenum ftillat, ipfaque nil aliud eft quam liquor particulis falino-alcalino-fulphureo-terreis impraegnatus per hepatis poros a maffa fanguinea feparatus. Lien vero humanus nullis cellulis membranaceis conftans fed meris vafis, fanguinem praeparat & difponit ad bilis feparationem, dum motum fanguinis inteftinum & progreffiuum fpecificum reddit.

THES. XIII.

De vrinae fecretione.

Quando per arterias emulgentes fanguis ad renes peruenit, tunc partes eius aqueo-falino-terreae per renum glandulofam fubftantiam transcolantur tanquam per filtrum, & delapfae in eorundem peluim per vreteres ad veficam vsque non folum depluunt, fed per fibras vreterum mufculofas in eandem deprimuntur, vbi per eiusdem veficae tunicas tranfeunt & in veficae capacitatem decidunt, qui liquor vrina appellatur: haec autem continet (1) in fe falia, vnde faporem fuum habet (2.) fulphur,

 vnde

vnde colorem (3) aquam, vnde fluiditatem ſuam mutuatur, (4.) partes terreas ſalibus immerſas, quod tartarus vaſis adhærens oſtendit. Ex veſica vero excernitur vrina, quia vel ob copiam maiorem, vel ob ſalia, fibras carneas veſicæ irritando & ad conſtrictionem ſtimulando exitum ſibi facit.

THES. XIV.

De tranſpiratione & ſudore.

Tranſpiratio eſt actio caloris & ſpiritus vitalis, qua per glandulas cutis effluuia ſeri effœta, mucida & recrementitia e maſſa ſanguinea ſeparata per poros cutis inſenſibiliter excernuntur. Dari tranſpirationem, extra dubium eſt, & ſine ea homo viuere nequit, qui circa ſe ſuam athmoſphæram habet, hinc omnia in homine viuente ſunt ξύῤῥοια vt ait *Cous*. Quamobrem glandulis minimis ac indefinitis interior cutis ſuperficies, qua pinguedini adhæret inueſtita eſt, quæ glandulæ a forma granorum milii quam referunt, miliares dicuntur. Materia tranſpirationis & ſudoris eadem eſt, & in tranſpiratione ſub vaporis, in ſudore vero ſub humoris forma exit; cauſa vero primaria vtriusque eſt calor, ſiue motus inteſtinus ſeu fermentatio ſanguinis maior vel minor, quam cauſam duæ aliæ modificant ſcilicet (1.) ſeri ſufficiens copia, eiusque fluxilitas (2.) pororum cutis conformatio legitima ſeu laxitas debita.

THES.

THES. XV.

De ſpirituum animalium geneſi & natura.

Spiritus animales ſunt naturæ ſulphureo-ſalino-aereæ ſeu ſubtiliſſima & volatilior ſanguinis portio, quæ per ſubſtantiam cerebri corticalem ſeparatur, & in fibras ſubſtantiæ medullaris nerueas filtratur, & tunc animales dicuntur ſpiritus.

THES. XVI.

De ſenſatione.

Senſatio eſt perceptio motus obiectorum corporeorum extra nos poſitorum; cumque obiecta illa materialia ſint, materialiter etiam percipi debent a nobis, vel per immediatum concurſum corporum cum corpore noſtro, vt *in tactu*; vel per corpuſcula e corporibus emanantia, & ſenſus noſtros immediate afficientia, vt in *guſtu* & *odoratu*; vel per radios lucis ſeu corpuſcula ætherea illuſtrata, vt in *viſu*; aut per aëris motum tremulum, vt in *auditu*. Illa autem corpora afficiunt primo membranam nerueam organorum ac ſpiritus animales, qui in ea latitant, quorum ope perceptio hæc defertur ad ſenſorium commune, ſiue ad medullarem cerebri ſubſtantiam, ex qua nerui originem ſuam petunt: nam ibi anima ſedem ſuam fixit, vt de tali perceptione iudicet.

THES. XVII.

De visu.

Visio est perceptio obiectorum visibilium per radios lucis ab obiectis visibilibus in oculum emissos, illa autem obiecta vel de se lucida sunt, vt sol & stellæ, vel opaca, vt terra & ædes. Corpora, quæ lucida sunt, mittunt linea recta radios suos in oculum, quæ vero sunt opaca, reflectunt linea recta radios alius lucis in oculum. Quorumuis corporum radii penetrant humores oculorum & collecti in retina eorum imagines repræsentant, tanquam in camera obscura, vnde spiritus animales in neruo optico contenti inde mouentur, quem motum ad cerebrum vsque continuant, vbi ab anima percipitur & diiudicatur.

THES. XVIII.

De auditu.

Auditus est perceptio sonorum sive motus aeris tremuli a corporibus se se concutientibus producti & per vndulationem tremulam ad tympanum auris accedentis, vnde spiritus in neruorum septimo pari, otico dicto, contenti commouentur, & motus huius speciem ad medullarem substantiam cerebri deferunt, vt ibidem ab anima percipiantur & discernantur soni, qui sunt auditus obiectum.

THES. XIX.

De olfactu

Olfactus est perceptio odorum seu corpusculorum salino-sulphureorum ab obiectis odoriferis effluentium, quæ membranis narium se insinuant, atque ibidem soluta

fi-

fibrillas nerueas ſpiritusque animales ibi contentos afficiunt, qui ſibi factam a corpuſculis iſtis impreſſionem animæ communicant vt ab ipſa percipiantur & diſcernantur odores, qui ſunt obiectum olfactus.

THES. XX.
De guſtu.

Guſtus eſt perceptio ſaporum ſeu corporum ſapidorum, fit autem illa, cum alimentorum, ſiccorum præſertim dentibus contritorum, ſalia menſtruo ſaliuali ſoluta particulis ſuis acutis papillas linguæ nerueas pungunt ac vellicant, quæ vellicatio ſpiritus in illis hoſpitantes afficit, qui per neruos quinti & noni paris impreſſionem ſibi factam vndulatim ad medullarem ſubſtantiam cerebri, vbi omnium perceptionum concurſus eſt, referunt, vt ibi anima de ſaporibus iudicet, hi enim ſunt guſtus obiectum.

THES. XXI.
De tactu.

Tactus eſt perceptio, quæ imprimitur nobis a corporibus immediate afficientibus fibras nerueas partium corporis noſtri ſiue externarum, ſiue internarum, vnde ſpiritus animales in illis commouentur, qui impreſſionem illam ad cerebrum deferunt, vbi de tactus ſpecie fit a mente iudicium. Species autem tactus diuerſa dependet a diuerſa obiectorum tangentium impreſſione, & varia conformatione quoad figuram, magnitudinem & motum.

THES. XXII.

De motu animali.

Motus corporis noſtri, quando voluntarius eſt, fit per muſculos pro animæ nutu. Muſculi diſtinguuntur in perfectos & imperfectos: illi nihil aliud ſunt quam congeries fibrarum motricium ita inter ſe contextarum, vt plerumque ſuæ extremitates tendinoſæ ſint, media autem pars laxior & tomentoſa, de quibus tractat myologia; hi vero ſunt fibræ carneæ ſibi relictæ & magis diſperſæ, quæ varia ſerie gaudent, quibus mediantibus gula, ventriculus, inteſtina, veſica, &c. inuoluntarie ac nobis inſciis mouentur. Motus in genere ſeu voluntarii ſeu automatici peraguntur per ſpiritus animales, quatenus ii elaſtica ſua & expanſiua virtute faciunt, vt fibræ motrices abbreuientur ac diſtendantur: ad hos motus ſanguis multum facit, vnde arteriæ magnæ trunco inferiori ligato partes corporis inferiores motu & ſenſu priuantur. Præter ſupra dictum motum animalem datur adhuc alius in omnibus corporis, viſcerumque partibus motus, qui tenſiuus dicitur: is duplex eſt naturalis ſcilicet & præternaturalis: naturalis eſt quando fibræ partium motrices in ſtatu naturali ſunt, neque nimis tenſæ neque nimis laxæ, & vno verbo dicitur tonus partium; præternaturalis vero dicitur, quando vel tenduntur nimis tales fibræ & motus partium fit ſpasmodicus, vel nimis relaxantur eædem; vnde diarrheæ, lienteriæ, aliaque incommoda ortum ducunt.

THES. XXIII.

De somno & vigiliis.

Somnus est sensationum ab externis obiectis & motus animalis spontanei cessatio. Illa fit, quando spiritus animales obnubilantur & irretiuntur ita, vt cerebri & neruorum tubuli minus rite expandantur, sed in semet blande concidant. Vigiliæ vero fiunt si spiritus sint actiuiores, porique cerebri aperti, ita ut anima spiritus determinare queat in nervos, & impressiones ab obiectis externis in organis factas percipere possit.

THES. XXIV.

De generatione.

Postquam sanguis per arterias spermaticas ad testes allatus est, & subtilissimus seri flos in longissimis testium canaliculosis anfractibus elaboratus & subtilisatus est, & naturam seminis induit, tunc in vesiculis seminalibus ad latera vesicæ sitis asseruatur; dum autem mas & fœmina coeunt, tunc spiritibus impraegnatum semen maris orgasmum contrahit, vesiculæ turgescunt, & semen in vterum elastica vi spirituum eiaculatur: eiaculati seminis spirituosum contagium per tubas vteri coitus tempore ad ouarium defertur, quo irroratur ouulum vnum vel duo, quæ postmodum per tubas Fallopianas in vteri capacitatem deuoluuntur, & hoc casu gemelli fiunt.

THES. XXV.

De fœtus nutritione & gestatione in vtero.

Statim atque spiritus masculi seminis in possessionem alicuius ouuli muliebris venit, ab eo ipso momento agere & mouere non desistit; habet enim potentiam a DEO sibi impressam se se mouendi ordinate, determinate & ad certum finem: hunc ergo secutus ordinem spiritus embryonis partes delineatas ita disponit, vt vnaquæque locum sibi conuenientem occupet. Quibus rite dispositis ouuli membranæ inuolucra fœtus constituunt, & ex arteria iliaca fœtus vtrinque ramus, e vena caua autem & portæ vnus exsurgit, qui cum vracho vasa vmbilicalia constituunt, ex quorum propaginibus placenta efformatur. Fibrillæ vero hæ vasorum excrescunt subinde, & radices vlterius pelliculas perforando agunt, & vtero firmantur. Nutritur autem embryo a matre quatenus per eius arterias vterinas adfertur alimentum ad placentæ propagines, vbi cum sanguine fœtus per binas eius arterias vmbilicales in cor embryonis defertur. Verisimile autem non est, liquorem chyloso-lymphaticum in amnio contentum ipsi pariter in alimentum cedere, ore assumendum, cum plurima obstent.

THES.

THES. XXVI.
De partu.

Fœtum nouem menſes adeptum in lucem prodire cogit vteri irritatio a tenſione fœtus maturi & maioris facta, qua ſtricturam concipit & ad expellendum ſe accingit, concurrente ipſo fœtu partibusque reſpirationi dicatis, hinc & muſculis abdominis. Pariendi conatus eo maxime tempore contingit, quo mater ante ingrauidationem euacuatione menſtrua laborare ſolebat, hinc in caput deuolutus infans os vteri aperit, atque ad vaginam verſus ſenſim ſenſimque deprimitur, donec membranæ hunc inuoluentes rumpantur, ipſeque vna cum ſuperſtitibus aquis, qua data porta, foras erumpat primum reſpiraturus.

THES. XXVII.
De menſibus, lochiis, & lacte.

Sanguinem a mulieribus & virginibus viro maturis ſingulis menſibus per vaſcula vteri excerni, nemo neſcit: is autem excidit ob plenitudinem vaſorum nimiam, illas enim ſanguine & ſuccis præ maribus abundare oportet, quæ concipiendo & geſtando fœtui a natura deſtinatæ ſunt. Ille vero vt menſtruus, non qualitate, ſed quantitate ſolum, peccat, ſi reliqua maſſa ſanguinea alias bene ſe ſe habeat. Ad hanc fermentati ſanguinis excretionem lunæ influxus ſecundario concurrit, primario autem a particulis maſſæ ſanguineæ ſalino-ſulphureis in turgeſcentiam & fermentationem redactis, concurrente ipſa vteri ſtructura, deducenda eſt; his enim temporis decurſu deficientibus, deficiunt etiam menſes, vt in ætate prouectis apparet. Deinde quod ante ingrauidationem ſunt menſes, id poſt partum

ſunt lochia. Auulſa enim in partu placenta, ab illa vteri parte, cui adhærebat, oſcula vaſorum aperiuntur, ſanguisque per vterum tamdiu euacuatur, donec tumor, quo geſtationis tempore vterus pollebat, remiſerit. Denique infans vtero excluſus nutritur materia chyloſo-lymphatica, quæ lac dicitur, lac autem ſegregatur in mammis, quæ glanduloſæ ſunt, quemadmodum vrina ſecernitur in renum canaliculis, quorum vreteres & veſica, per quam vrina tranſcolatur, ſunt

F I N I S.

Clariſſimo Dno. Reſpondenti

S. P. D.

P RÆ S E S.

QVod *Hippocrates* iam olim *Leg. Cap. I. t. 10.* conqueſtus eſt, hodie magis adhuc valet: medicos fama quidem & nomine multos, re autem & opere valde paucos eſſe.

Facit autem tam vulgi, quam etiam aliorum, opinio, imo lucrum, vt in ſumma ignorantia verſantes, & figuram ac habitum & perſonam eorum, quos referunt, tantum habentes pro medicis iudicentur & habeantur.

Tales perſonati euadunt medici omnes, qui genuina eius fundamenta negligunt, & in collectione quarundam formularum & medicamentorum rem omnem poſitam eſſe, exiſtimant.

Negli-

Negligentes vero ſcrutationem naturæ corporis humani genuinam, hoc curandum ſibi ſumunt, &, neſcientes, quæ patiatur æger & ex qua cauſa, cœco ductu medicamenta præbent & præſcribunt.

Ignorantiam hanc ſuam audacia & loquacitate apud vulgum & harum rerum ignaros callide tegunt, omnes morbos, leuiores etiam, pro periculoſiſſimis venditantes, vt, ſi euadat æger, pro eis habeantur, qui a magno ægrum liberauerint morbo, ſin vero ad plures abeat, ab aliis quoque ſeruari haud potuiſſe credatur.

Te longe aliter ſentientem felicem deprædico, cum genuinum artis filium Te præſtes. Scrutaris enim naturæ arcana, & genuina eius principia noſſe ſatagis.

Specimen huius exhibent theſes phyſiologicæ a Te elaboratæ & publice defenſæ. Abſonum enim recte putas, corpus, cuius natura ignota eſt, curare velle.

Gratulor Tibi hoc nomine &, ne deſinas huic regiæ genuinæ viæ inſiſtere, auctor ſum. Ad vtilitatem enim ægrorum, Tuam Tuorumque gaudium, famam ac emolumentum certiſſime ducet. Dab. e muſeo MDCCXIV. D. VI. Iun.

Conſtat quod noſtrum ſit viuens machina corpus,
Quæ perit, in nihilum quæ reditura ſuum.
Aſt animus, cum ſit Diuini ſpiritus oris,
Morte ſubit centrum ſpirituale ſuum.
Ergo voluptates perituri corporis oſus
Diuinis animum paſce ſtudendo bonis,

His etenim fiet ſublimior, aſtraque, Fili,
Te meditante petet, ſicque beatus eris.

Scribebat Parens

PET. LE CERF.
Phil. & Med. Doctor, Practicus
Francofurtenſis

Dic mihi quid cogites, aut quo Te, dulcis Amice,
Diſcendi rapiat, paucis innata, cupido?
En Pariſina tuam norunt Noſodochia dextram,
Te que fecit Phyſices Palatinus Apollo Magiſtrum;
Bis nonos quamuis nunc vix adoleveris annos:
Quando Tuas nulla ſpargi lanugine malas,
Et doctis cingi video tua tempora Lauris,
Credo, niſi mea mens læva eſt, Natura ſeniles
Inſculpſiſſe cupit juuenili in pectore dotes.
Felici hinc genio fidens Ienenſia gaudes
Scandere præcipiti, CERVI inſtar, pulpita greſſu;
Vt Tibi WEDELIVS Medicinæ arcana recludat:
Sic monſtrantis iter veſtigia perge Parentis
Tuta ſequi, nam WEDELIO ſub Præſide ſemper
Fata ſecundabunt cœptis, & digna rependent
Præmia, præteritos compenſatura labores.

Præclariſſimo atque Doctiſſimo Domino Reſpondenti, Fautori, Amico ac Contubernali ſuo ſingulariter colendo, gratulabundus ita applaudere voluit

IOHANNES CHRISTOHORVS RIECKIVS,
Stuttgardienſis, Med. Cultor.

(o)